



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Ivliv Capitolini Opilivs Macrinvs. Ad Diocletianvm Avgvstvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277

gistrum eius Celiiani ferunt, Afri quondam rhetoris. Ex qua apparet quam asper futurus iuuenis, si uixisset. Extat alia epistola ad matrem ab eodem destinata talis.

Dominus noster & Augustus nec te amat, nec ipsum se, qui inimicos suos seruat. Age igitur, ut Arabianus, & Thuscus, & Gellius ad palum deligantur: ne si occasio fuerit, nos interimant. Et quantum Lollius Urbicus in historia sui temporis dicit, istae literae per notarium proditae, illi puero multum apud milites obfuisse dicuntur. Nam cum patrem occidissent, quidam hunc seruare uoluerunt: sed extitit cubicularius, qui has epistolas concioni militum legit. Interfectis igitur amobus, & capitibus pilo circumlatis, in Marcum Aurelium Antoninum charitate nominis inclinauit exercitus. Is filius Bassiani Caracallae ferebatur: erat autem templi Heliogabali sacerdos, homo omnium impurissimus, & qui fato quodam Romanum deformauerat imperium. De quo quidem, quia multa sunt dicenda, loco suo disseram.

Afist Caracalli.

I V L I I C A P I T O L I N I

OPILIVS MACRINVS

A D D I O C L E T I A N V M

A V G V S T V M.



ITAE ILLORVM PRINCIPVM, seu tyrannorum, siue Caesarum, qui non diu imperauerunt, in obscuro latent. Iccirco quod neque de priuata eorum uita digna sunt quae dicantur, cum omnino nescirentur quidem, nisi aspirassent ad imperium: & de imperio, quod non diu tenuerunt, non multa dici possunt. Nos tamen ex diuersis historijs erutam lucem proferemus, & ea quidem, quae memoratu digna erunt. Non enim est quisquam in uita, qui non ad diem quodcumque fecerit: sed eius, qui uitas aliorum scribere orditur, officium est digna cognitione perscribere. Et Iunio quidem Cordo studium fuit eorum imperatorum uitas aedere, quos obscuriores uidebat: qui non multum profecit. Nam & pauca repperit, & indigna memoratu, asserens se minima quaeque persecuturum, quasi uel de Traiano, aut Pio, aut Marco sciendum sit, quoties processerit, quando cibos uariauerit, & quando uestem mutauerit, & quos quando promouerit: quae ille omnia exequendo libros mythistorijs repleuit talia scribendo: cum omnino rerum uilium, aut nulla scribenda sint, aut nimis pauca, si tamen ex his mores possint animaduerti, qui reuera sciendi sunt, sed ex parte conscribam, ut & ea caetera colligantur. Occiso ergo Antonino Bassiano, Opilius Macrinus Praefec. praet. eius, qui antea priuatus curabat, imperium arripuit: humili natus loco, & animi, atque oris inuerecundi: seque nunc Seuerum, nunc Antoninum, cum in odio esset omnium & hominum, & militum, nuncupauit. Statimque ad bellum Parthicum profectus, & uindicandi se de militibus seu rumoribus, quibus premebatur, adolescenti potestatem dempsit. Quamuis

Afist adolefcenti.

Senatus

Senatus eum imperatorē odio Antonini Bassiani libenter acceperit, cum in senatu omnibus una uox esset, quemuis magis quā paricidam, quemuis magis quā incestum, quemuis magis quā impurum, quemuis magis quā interfectore & senatus, & populi. Et mirum omnibus fortasse uideatur, cur Diadumenus filius Marcrini Antoninus uoluerit nuncupari, cum autor necis Antoniniana fuisse dicitur. De ipso quæ in annales relata sunt, proferam. Vates cælestis apud Carthaginem, quæ deo repleta solebat uera canere sub Antonino Pio, cum sciscitante proconsule de statu, ut solebat, publico, & de suo imperio futura prædiceret: ubi ad principes uentū est, clara uoce numerari iussit, quoties diceret Antoninum. Tunc quæ attentis omnibus Antonini nomē Augusti octauo ædidit. Sed credentibus cunctis, quod VIII annis Antoninus Pius imperaturus esset, & ille transcendisset hunc annorum numerū: constitit apud credentes, uel tunc, uel postea per uatem aliud designatū. Denique adnumeratis omnibus, qui Antonini appellati sunt, is Antiniorū numerus inuenitur. Eū uero Pius primus, Marcus secundus, Verus tertius, Commodus quartus, quintus Caracallus, sextus Geta, septimus Diadumenus, octauus Heliogabalus Antonini fuere. Nec inter Antoninos referendi sunt duo Gordiani: qui aut prænomen tantū Antoninorū habuerunt, aut etiā Antonij dicti sunt, non Antonini. Inde est, quod se & Seuerus Antoninum uocauit, & plurimi fuerunt, & Pertinax, & Iulianus, & idem Macrinus. & ab ipsis Antoninis, qui ueri successores Antonini fuerunt, hoc nomen magis quā propriū retentum est. Hæc alij. Sed alij iccirco Antoninū Diadumenū à Macrino patre appellatū ferunt, ut suspicio à Macrino interfecti Antonini militibus tolleretur. Alij uero tantū desyderiū nominis huius fuisse dicunt, ut nisi populus, & milites Antonini nomen audirent, imperatorium nō putarent. Et de Macrino quidē in Senatu à multis quando nunciatū est Varium Heliogabalū imperatorem: cum iam Cæsare Alexandrū senatus dixisset: ea dicta sunt, ut appareat ignobilem, sordidum, spurcum fuisse. uerba denique Aurelij Victoris, cui primo cognomen erat, hæc fuerunt. Macrinū libertinū hominē prostibulum, seruilibus officijs occupatum in domo imperatoria, uenali fide, uita sordida sub Comodo à Seuero remotum etiā à miserrimis officijs, relegatumque in Africā, ubi ut infamiā damnationis tegeter, lectioni operam dedisse, egisse causulas, de clamasse, in postremo dixisse. Donatum autē annulis aureis, patrocinate sibi Vero liberto suo Festo, aduocatū fisci factum sub Vero Antonino. Sed & hæc dubia ponuntur, & alia dicuntur ab alijs, quæ ipsa quoque nō tacebimus. Nam plerique gladiatoriam pugnam eum exhibuisse dixerunt. Et accepta rudi, ad Africam isse uenatorē primo, post etiā tabellionē fuisse, deinceps aduocatū fuisse fisci, ex quo officio ad amplissima quæque peruenit. Deinde cum esset Præf. præcollega ablegato, Antoninū Caracallum imperatorē suū interemit tanta ^{alst} factione, ut ab eo nō uideretur occisus. Nam stratore eius redempto, & spe ingenti proposita id egit, ut quasi militaribus insidijs, quod uel ob paricidiū, uel incestū displiceret, interemptū diceretur. Statim denique arripuit imperium filio Diadumeno in participatū ascito: quæ continuo, ut diximus, Antoninū appellari à militibus

iussit. Deinde corpus Antonini Romā remisit sepulchris maiorū inferendum. Mandauit collegæ dudum suo præfecto prætorij, ut munus suū curaret, ac præcipue Antoninū honorabiliter sepeliret ducto funere regio, quod sciebat ob uestimenta populo, & cōgiaria data multū Antoninū à plebe dilectū. Accedebat etiā illud, quod militare motum timebat, ne eo interueniente suū impediretur imperium, quod raptum ierat, sed quasi inuitus acceperat: ut sunt homines, qui ad ea se cogi dicunt, quæ uel sceleribus cōparant. Timuit autē etiā collegam, ne & ipse imperare cuperet sperantibus cunctis: quod si unius numeri cōsensus accederet, neq; ille recusaret, & omnes cupidissime id facerēt odio Macrini, uel propter uitam improbam, uel propter ignobilitatē, cum omnes superiores nobiles fuissent imperatores. Infulsit præterea nomen Seueri, cum illius nulla cognatione tangeretur, unde iocus extitit: Sic Macrinus est Seuerus, quo modo Diadumenus Antoninus. Statim tamē ad delendū militum motū, stipendiū & legionarijs, & prætorianis dedit solito uberius, utpote qui extenuare cuperet imperatoris occisi crimen: profuitq; pecunia, ut solet, cui innocētia prodesse nō poterat. Retentus est em̄ aliquanto tēpore in imperio homo uitiorū omniū. Ad senatū deinde literas misit de morte Antonini, Diuū illum appellans: excusansq; se & iurans, quod de cæde illius nescierit. Ita sceleri suo more hominū perditorū iunxit periuriū, à quo incipere decuit hominē improbū, cum ad Senatū scriberet. Interest scire cuiusmodi oratio fuerit, qua se excusauit: ut & impudētia hominis noscatur, & sacrilegiū, à quo initiū sumpsit improbus imperator. Capita ex oratione Macrini & Diadumeni imperatorū. Vellemus P. C. & incolumi Antonino nostro, & reuēcti, cum triūpho uestram clementiā uidere. Tunc demū em̄ florente Rep. & omnes felices essemus, & sub eo principe uiueremus, quem nobis Antoninorū loco dñj dederāt. Verū quia id euenire per tumultū militarem nō potuit, nunciamus primū quid de nobis exercitus fecerit, deinde honores diuinos, quod primū faciendū est, decernim⁹ ei uiro, in cuius uerba iurauimus, cū exercitus ultorem cædis Bassiani neminē digniorē præfecto eius putauit, cui & ipse utiq; uindicandā factionē mandasset, si uiuus deprendere potuisset. Et infra. Detulerunt ad me imperiū, cuius ego P. C. interim tutelam recepi, tenebo regimen, si & uobis placuerit, quod militibus placuit, quibus & stipendiū dedi, & omnia imperatorio more iussi. Item infra. Diadumenū filiū meū uobis notum, & imperio miles donauit, & nomine, Antoninū uidelicet appellans: ut honestaret prius nomine, sic etiā regni honore, quod uos P. C. bono, faustōq; omine approbatis, petimus, ne nobis desit Antoninorū nomen, quod maxime diligitis. Item infra. Antonino autē diuinos honores & miles decreuit, & nos decreuimus: & uos P. C. ut decernatis, cū possimus imperatorio iure præcipere, tamen rogamus, dicantes & duas statuas equestres, pedestres duas habitu militari, sedētes ciuili habitu duas. Item Diuo Seuero duas triūphales, quæ omnia P. C. uos impleri iubebitis nobis religiose pro prioribus ambiētibus. Lectis igitur in senatu literis, cōtra opinionē omniū, & mortem Antonini senatus gra-tanter accepit, & Opiliū Macrinū libertatē publicam curaturū sperans. Primū in patritios

in patritios allegit nouū hominē, & qui paulo ante pcurator priuatae rei fuisset. eundē cum scribā pontificū esset, quos hodie pontifices minores uocāt, PONT. OPT. appellauit, Pij nomine decreto. Diu tamē lectis literis cū omnino nemo crederet de Antonini morte, silentiū fuit. Sed posteaq̄ cōstitit occisum, senatus in eum, uelut in tyrannū, inuectus est. Deniq; statim Macrino & proconsulare imperiū, & potestatem tribunitiā detulerunt. Filiū sanē suū, cum ipse Felicis nomen recepisset, ut suspiciōne occisi à se Antonini remoueret, Antoninū uocauit Diadumenū antea dictum. Quod quidē etiā Varius Heliogabalus, qui se Bassiani filiū diceret, homo sordidissimus, & ex meretrice cōceptus, idem postea nomen accepit. Deniq; uersus extant cuiusdā Poëtae, quibus ostenditur Antonini nomen cōcepisse à Pio, & paulatim per Antoninos usq; ad sordes ultimas peruenisse. Siquidē Marcus nomē illud sanctum uitae genere auxisse uidetur, Verus autē degenerasse, Cōmodus uero etiā posuisse sacri nominis reuerentiā. Iam qd de Caracallo Antonino, quidē de hoc potest dici? Postremo etiā quid de Heliogabalo? qui Antoninorū ultimus in summa impuritate uixisse memoratur. Appellatus igitur Imperator, suscepto bello cōtra Parthos, pfectus est magno apparatu, studēs sordes generis, & prioris uitae infamiā uictoriae magnitudine abolere. Sed cōflictu habito cōtra Parthos defectu legionū, quae ad Variū Heliogabalū confugerāt, interemptus est. Sed anno amplius imperauit. Sanē cum esset inferior in eo bello, quod Antoninus gesserat, Artabane grauius necē suorum ciuiū uindicāte, primo Macrinus repugnauit. Postea uero missis legatis petijt pacē, quā libenti animo interfecto Antonino Parthus cōcessit. Inde, cum se Antiochiā recepisset, ac luxuriā operā daret, iustā causam interficiendi sui praebuit exercitui, ac Bassiani, ut putabatur, filiū sequenti, id est, Heliogabalū Bassianum Variū, qui postea & Bassianus, & Antoninus appellatus est. Fuit quaedā mulier Mœsa, siue Varia ex Emisena urbe, soror Iuliae uxoris Seueri Pertinacis Afri, quae post mortē Antonini Bassiani ex aulica domo fuerat expulsa per Macrini superbiā: cui quidem omnia cōcessit Macrinus, quae diu illa collegerat. Huic erāt duae filiae, Symiamira & Mamaea, quarū maiori fili⁹ erat Heliogabalus, qui & Bassiani, & Antonini nomē accepit. Nam Heliogabalū Phoenices uocant Solē. Sed Heliogabalus pulchritudine, ac statura, & sacerdotio conspicuus erat, ac notus omnib⁹ hominibus, qui ad templū ueniebāt, militibus praecipue. His Mœsa, siue Varia dixit Bassianū filiū esse Antonini, quod paulatim omnibus militibus innotuit. Erat praeterea Mœsa ipsa ditissima, ex quo etiā Heliogabalus luxuriosissimus, qua pmittēte militibus legiones, abductae sunt à Macrino. Suscepta enim illa noctu in oppidū cum suis, nepos eius Antoninus est appellatus, imperij delatis insignibus. Hæc ubi sunt Macrino apud Antiochiā posito nūciata, miratus audaciā muliebrē, simul etiā cōtemnens, Iulianū praefectū ad obsidendos eos cū legionibus misit. Quibus cū Antoninus ostēderet, miro amore in eū omnib⁹ inclinatis, occiso Iuliano praefecto, ad eū omnes trāsierūt. Deinde parte exercitus cōiuncta, uenit cōtra Macrinū Antoninus cōtra se festinante: cōmissōq; praelio, Macrinus est uictus pditione militū eius, & amore An-

ronini. fugiens sanè Macrinus cū paucis, & filio, in uico quodā Bithyniæ occisus est cū Diadumeno. Ablatūq; eius caput est, & ad Antoninū perlatū. Sciendū præterea, quod Cæsar fuisse dicatur, nō Augustus Diadumenus puer, quē pleriq; pari fuisse cū patre imperio tradiderunt, occisus est etiā filius, cui hoc solum attulit imperiū, ut interficeretur à milite. Nō em̄ aliquid dignū in eius uita erat, quod dicatur, præter hoc, qd' Antoninorū nomini est uelut inothus appositus. Fuit tamen in uita imperatoria paulo rigidior, & austerior: sperans se ante acta omnia posse obliuioni dare, cū ipse seueritatis illius occasionē reprehēdendi, & lacerādī eius aperiret. Nam & Seuerū se, & Pertinacē uoluerat nūcupari. Quæ duo illi asperitatis nomina uidebātur. Et cum illum senatus pium, ac felicē nūcupasset, Felicis nomē recepit, Pij habere noluit. Vnde in eum epigrāma illatū Græci cuiusdā Poætæ uidetur extare, quod Latine hac sententia continetur.

Abstinotus.
Obliuioni
dare, pro ob
litare.

- Histrio iam senior turpis, grauis, asper, iniquus,
- Impius, & felix sic simul esse cupit.
- Vt nolit pius esse, uelit tamen esse beatus.
- Quod natura negat, nec recipit ratio.
- Nam pius, & felix poterat dici, atq; uideri.
- Cui imperium infelix est, erit ille sibi.

Hos uersus, nescio quis de Latinis, iuxta eos, qui Græci erant propositi, in foro posuit. Quibus acceptis Macrinus his uersibus respondisse fertur.

- Si talem Graium retulissent fata Poëtam,
- Qualis Latinus Gabalus iste fuit:
- Nil populus nosset, nil nosset curia, magno
- Nullus scripsisset carmina terra mihi.

His uersibus Macrinus lōge peioribus q̄ illi Latini sunt, respōdisse se credidit. Sed nō minus risui est habitus, q̄ Poëta ille, qui de Græco Latine coactus est scribere. Fuit igitur superbus, & sanguinarius, & uolens militariter imperare: incusans quinetiā superiorū temporum disciplinā, ac solum Seuerum præ cæteris laudās. Nam & in crucem milites tulit, & seruilibus supplicijs semper affecti: & cum seditiones militares pateretur, multos sapius decumauit. Aliquādo etiam

Centesimare. centesimauit: quod uerbū propriū ipsius est, cū se clementē diceret, quando eos centesimaret, qui digni essent decumatione, atq; uicesimatione. Longū est eius crudelitates omnes aperire. Attamē unā ostendā non magnā, ut ipse credebat, sed omnibus tyrānicis immanitatibus tristiozem. Cum quidam milites ancillæ hospitis pudorem deprauasse suspecti essent, atq; per quendā frumentariū ille

Vtrū pro an. didicisset, adduci eos iussit. Interrogauitq; utrū esset factum, quod cum constitisset, duos boues miræ magnitudinis uiuos subito aperiri iussit, atq; his singulos milites inferi, capitibus, ut secum colloqui possent, exertis. Itaq; pœna hos affecti, cum ne adulteris quidem talia apud maiores sui temporis essent constituta supplicia. Pugnauit tamen & contra Parthos, & contra Armenos, & contra Arabas, quos Eudæmones uocant, non minus fortiter, quàm feliciter. Tribunū, qui excubias deserui passus est, carpento rotali superadnexum per totum

iter

iter uiuū, atq; exanimem traxit. Reddidit etiam Mezentij supplicium, quod ille uiuos mortuis illigabat, & ad mortem cogebat longa tabe cōfectos. Vnde etiā in circo, cum fauor publicus in Diadumenū semper fuisset acclamatum:

* Egregius forma iuuenis, Cui pater haud Mezentius esset:

Viuos etiā homines parietibus indusit, & struxit. Adulterij reos semper uiuos simul incendit, iunctis corporibus. Seruos qui à dominis fugissent, repertos ad gladiū ludi deputabat. Delatores si non probarent, capite affecit: si probarent, delato pecuniæ præmio, infames dimisit. Fuit in iure nō incallidus: adeo, ut statuisset omnia rescripta ueterū principum tollere, ut iure non rescriptis ageretur. Nefas esse dicens leges uideri Commodi, & Caracalli, & hominū imperitorum uoluntates, cū Traianus nunq; libellis responderit, ne ad alias causas facta præferrentur, quæ ad gratiā composita uiderētur. In annonis tribuēdis largissimus fuit. In auro parcissimus. In uenerandis uel aulicis tā impius, tam pertinax, tam asper, ut serui illum sui nō Macrinū dicerent, sed Macellinū, quod macelli specie domus eius cruētaretur sanguine uernularū. Vini, cibiq; auidissimus, nōnunq; usq; ad ebrietatem, sed uespertinis horis. Nam si prædixisset uel priuatim parcissimus, in cœna effusissimus. Adhibuit cōuiuio literatos, ut loquens de studijs liberalibus necessario abstineret. Sed cum eius uilitatē homines antiquā cogitarēt, crudelitātē nimīā uiderent, hominē putidulū in imperio ferre nō possent, & maxime milites, qui multa eius meminerant funestissima, & aliquādo turpissima, in ita factione illum occiderunt cum puero suo Diadumeno scilicet Antonino cognomine, de quo dictum est, quod in somnijs Antoninus fuisset. Vnde etiā uersus extant huiusmodi.

Suspicio legendum, in uernulis uel aulicis.

» Vidimus in somnis ciues (nisi fallor) & istud,
» Antoninorum nomen puer ille gerebat,
» Qui patre uenali genitus, sed matre pudica:
» Centum nam mœchos passa est, centumq; rogauit,
» Ipse etiam caluus mœchus fuit inde maritus:
» En Pius, en Marcus, Verus nam non fuit ille.

Et isti uersus ex Græco trāslati sunt in Latinū. Nam græce sunt disertissimi. Videntur autē mihi ab aliquo Poëta uulgari translati esse. Quod cū Macrinus audivisset, fecit iambos, qui nō extant. iucundissimi autē fuisse dicuntur: qui quidem perierūt in eo tumultu, in quo ipse occisus est, quādo & omnia eius à militibus peruersa sunt. Genus mortis, ut diximus, tale fuit: cum in Antoninū Heliogabalum exercitus inclinasset, ille fugit, bellōq; uictus est, & occisus in suburbano Bithyniæ, suis partim deditis, partim occisis, partim fugatis. Ita Heliogabalus dardanus redditus est, quod uideretur patris uindicasse mortē, atq; inde in imperiū uenit, qd' dedecorauit uitij ingentibus: Luxuria, turpitudine, abliguritione, superbia, immanitate: qui & ipse similem exitū uitæ suæ sortitus est. Hæc de Macrino nobis sunt cognita, multis aliqua uariantibus, ut se habet omnis historia. Quæ de plurimis collecta sunt, serenitati tuæ Diocletiane Auguste detulimus, quia te cupidum ueterum imperatorum esse perspeximus.

Aliter creditur.

Iulij